



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

Angelis, Paolo de

Roma, 1621

Petri Strozae S. D. N. Secret. Apost. Domestici responsio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13873

supra viginti exceptis, quos Dei sapientia, ut eque fortiter ac suaviter sua disponderet, perignem, & gladium sibi in odorem suauitatis assumpsit. Nec propterea illum à grauioribus pietatis argumentis, non dum suscepta regeneratio, frigsere, non tepescere permisit. Sed cum Anglorum Bataurorumq; oratores, ad Iaponicum Imperatorem eius amicitiam postulantes, accessissent, sancte huius sedis beatitudinem inuadentes, inuidentes ei saltem, insidiantes, aduersantes; Idates Imperatorē admoneat solam Romanam Ecclesiam esse Christi legitimā uxorem, non habentem maculam, neque rugam; cuius consilio illis dimissis, ad incundam societate, cum Philippo Hispaniarum Rege catholico, huius matris legitimo filio, desectere maluit. consequentia vestro iudicio, Patres amplissimi, conijcienda relinquo. Roma cogitandum tibi qualis fueris; qualis sis. S. Leonem tantisper audiamus; Quae eras magistra erroris, facta es discipula veritatis: Datur ne aliquid apponere? Quae eras discipula veritatis, facta es Magistra & mater veritatis; Columna, firmamentū fidei; Iaponia in errore tibi soror, in veritate fit tibi obsequiissima famula: fiat, eia, fiat dilect. filia. Huc usque zelus pietatis apud Iapones peruenit: Hucusq; apud nos peruenire uideamus, ut Idatem Regem catechumenorum tuorum numero agreges. Optimum, Maximum, summum, sanctissimum te confitemur, beatissimū ex eo quem excipis, quando excipis, & quorsū excipis uix indicare potui; contristor linguam meā, cordi meo non sufficere, tuam beatitudinem penē à limine venerari potui. Prospice tuis supplicibus Mundi Redempt. qui Ecclesiam tuam B. Francisci meritis fetu noua proles amplificas, famulum tuum Idatem, quē Voxijs Regem praesse uoluiti: inter filios adoptionis adscribe, & Apostolicum tuum Paulū, quem Pastorem Ecclesiae tuae praesse uoluiti, fac semper praesse feliciter, conserva eum, beatus facias eum in terra; beatum facturus in Coelis, et sicut in dimidio militaris clamidis festiuus, et felix aliquādo dixisti, Martinus ad huc catechumenus, hac me veste contexit; Ita in Regia huius, quem suscipis, clamide, per Paulum tuū festiuē, ac feliciter dicere audiamus. Idates ad huc catechumenus hac me gloria superuestiuit, &c.

Ad hanc orationem à Reuerendis. D. Petro Stroza, summi Pontificis nomine, in hæc verba responsum est.

PETRI STROZAE S. D. N. SECRET. Apostol. Domestici responso.

Iucundissimum S. D. N. nuncium attulisti, oratores, pie, ac religiose Dei sacerd. Ludouice, & Eques generose Philippe Faxecura Idatē Masamunē Regem Voxij, cuius tā latum inter Iaponicos Imperium, tā ample, ac ualide copia, atq; uires, adeo firma praesidia, cum ex continuo,

A expeditoq; belli apparatu, tum ex arctissimo, ac duplici cum summo Iaponie Rege affinitatis vinculo; succensum diuini amoris ardore, christianā fidem recepisse, & ad huc catechumenum, fidei propagationem, uerumq; Dei cultū apud suos summo zelo curauisse, ac uos eadē de causa ad S. Apost. Sedem legauisse. Gaudet summopere sanctitas sua, & Deo gratias ingentes agit, quod ministerij sui Apost. tempore, Christi Domini Euangelium feliciter audiri in orientalibus Iaponie partibus cepit, eiusq; rei Nuncium allatum esse trigesimo tertio anno postquā ex occidentalibus illius ampl. Insule regionibus primi Christianorum ad summum Pontificem legati Nauem conscenderunt.

Quasi uero spes, quae affulserat absolucendi per totum terrarum orbem praedicationis euangelicae circulum, adimpleri, ac perfici debuerit mysteriosa annorum periodo, qua humani generis Redemptor in terris peregrinari dignatus est.

Diuina igitur misericordia fretus S. D. N. utiq; sperat, Regem Idatem quantocyus candidam ex fonte sacri baptismatis vestem sumpturum, sicut ad eius animae salutem illū efficacissimē hortatur.

C Quae fiducia amantiissime recipit unā cum his uenerabilibus fratribus suis S. R. E. Car. hanc eius pie uoluntatis declarationem, delatūq; per uos sibi, ac S. Apost. sedi obsequium, ac uenerationem.

Et Deum toto cordis affectu precatur, ut per immensam eius bonitatem perficiat, quod per ineffabilem suam clementiā in Rege Idate incepit, nihil & ipse interea praetermissurus, ut quantum cum Dño fieri poterit, ipsius Regis pijs, ac iustis desiderijs satisfaciatur, subiectoruq; ei populoru spirituali solatio opportune prospiciatur. Sic me uobis respon. ius.

D Post hæc denuō legati accesserunt pedes sanct. iterum osculaturi, quibus reuerenter & deuotē osculatis Pont. benignē eos excepit, praecepitq; ut sub. tus Baldachinum, et supra scabellum, in quo sedes Pont. existerat ad dextrum latus persisterent, do nec Religiosi Comites praefati Reuerendiss. Patr. Ludouici Soteli Legati, ac omnes de familia excellentissimi Domini secularis Legati singillatim numero uiginti quinque beatissimos Domini Nostri pedes oscularentur. Quo factō, Pontifex stola dimissa, Legatis beneuolē inspectis, benedictionem largitus, in Palatio se recepit, & Legati sacrum Cardinalium Collegium uenerantes, ac singula singulis deuota oscula praebentes hilariter, ac magno pietatis affectu ab ipsis excepti, honoratque fuer. Deinde deposito regio indumento, magno cum comitatu, & uniuersali congratulatione Ecclesiam Principis Apostolorum ingressi, ibi singulari pietate, ac deuotione Deo gratias agentes, Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli sacra corpora uenerati, ad Conuentum Araeli, cum eodem comitatu regressi sunt.

E

Hic